



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Lapis Philosophicus, Et Aurum Potabile, Eleemosyna

Foullon, Jean E.

Leodii, 1667

Prooemium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51728](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51728)

E

LAPIS PHILOSOPHICUS,  
ET AURUM POTABILE,  
E L E E M O S Y N A .

---

P R O O E M I U M .

I.  
*Quomodo eleemosyna est lapis philosophicus, & Aurum potabile.*

**Q**UEM falsa vanitas aliquando jactat inventum, quem avara cupiditas aut malefana curiositas semper quaerit in cassum, Lapidem philosophicum, id est artem de metallis quibuslibet ingenio chymico aurum efformandi : eum nos lapidem <sup>a</sup>in foraminibus Petra, in caverna maceria, in quinis JESU-CHRISTI vulneribus ostendemus. Quod arrogans quorundam circūforaneorum medicina praedicat Aurum potabile, farcien-

A 5

dis

dis viribus, prorogandæ vitæ, propulsandæ morti: id nos <sup>a</sup> de quinque fontibus Salvatoris hauriemus. Eleemosyna hæc est: cujus efficacitate, in pauperum manus deposita vilissima metallorum, & recularum frivola, fiunt <sup>b</sup> aurum mundum, tamquam vitrum perlucidum: per quam <sup>c</sup> æra, quamvis minuta, nedum argentum & aurum, vi Christianæ caritatis eliquata in egenorum sinus, vertuntur <sup>c</sup> in fluvium aquæ vitæ, procedentem de sede Dei & Agni.

II.

Quare de eleemosyna rursus hic tractatur?

Etiamne tu, inquis, de argumento tam protritito? Etiam: quia etsi protritum est, nec fat tamen teri, neque unquam deteri potest; caritas enim utendo non modò non consumitur, sed augetur. Deinde, quia brevius longè dicam, quàm alii; aliter dicam, quàm ulli

a Isa. 12. b Ap. 21. c Luc. 21. d Apoc. 22

ELEEMOSYNA.

3

ulli; forsan & aliud. Hoc certè non ambigo, quin Christianis oculis gratum futurum sit; quòd Christi amabilissima vulnera, in capitum summario ad prægustum exhibita, in illorum quinario numerata, in materia & sectione eorumdem repræsentata, invenient.

III.

*Cur non agitur  
de eleemosyna  
spirituali?*

Quidni ergo, rursus aliquis inquit, de spirituali potiùs eleemosyna, quàm de corporali edisseris: cùm illam potissimùm Christi vulnera, salutis animarum passi & mortui, respiciant? Quia quod nuper dicendo non egi, quod nunc scribendo non ago, id tu mox egeris cogitando: ut, ab eleemosyna corporum, gradum facias ad eleemosynam animarum; easdemque utrique causas, & rationes, accomodes. <sup>a</sup> Nam ubi paupertas est, in-

A 6

quit

<sup>a</sup> Lib. 2. de erud. c. 38.

4 R. P. FULLONII

quit Richardus Victorinus, *ibi & eleemosyna esse potest: & quanto paupertas est verior, tanto & eleemosyna major.* Atqui animarum longè miserabilior est, quàm corporum pauperties: adeoque major longè, & pretiosior, animorum misericordia, quàm corporum. Non idcirco tamen amplum in Christi vulneribus locum non habet, pretiumque suum amittit, ac præmium, eleemosyna corporalis: etsi spiritualis pluris est; & plurimi est, quæ corporum simul & animorum subvenit egestati.



SUM-